



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. I. Vtrùm amor, prout est actus caritatis, sit idem quod beneuolentiæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

verè à parte rei non est; aut causa & negatio effectus sunt simul; sed solum significat hunc existere dependenter ab illa, & illam independenter ab hoc. Quare effectum in illo priori naturæ nondum esse, non significat eum in illo instanti temporis pro aliqua eius parte absolute non esse, sed solum eum non esse independenter à sua causa.

169

Quare ut ad argumentum respondeam in forma, nego consequ. quia gratiam adhuc esse in illo priori naturæ, non significat eam absolute tunc esse, sed adhuc esse secundum quid; & secundum quendam nostrum modum concipiendi. sicut ex eo quod Æthiops sit albus secundum dentes non sequitur eum esse absolute album. & ex eo quod attributa in Deo distinguantur virtualiter, aut, ut alij volunt, ratione, cum fundamento in re, non sequitur ea à parte rei verè inter se distingui. Et simili modo argumentandi probaremus lucem & tenebras eodem instanti esse simul in eodem aere, quando in loco tenebroso in instanti producit corpus lu-

minosum, quod eodem instanti ibidem producit lumen. tunc enim necessario prius natura producit corpus luminosum, quam ipsum lumen ab hoc producat; & consequenter illud producit prius natura quam tenebræ per lumen expellantur. Vnde sequitur in illo priori lumen nondum esse productum, & consequenter adhuc esse negationem luminis siue tenebras; atque ita secundum illum modum argumentandi inferretur, lucem & tenebras in eodem aere pro eodem temporis instanti esse, simul, quod aperte falsum est. Igitur tenebras adhuc esse in illo priori naturæ, quo corpus luminosum producit ante lumen, non significat illas in illo instanti temporis verè adhuc esse; sed solum eas desinere esse dependenter à productione illius corporis ac luminis ab eo producti. Et similiter caritatem adhuc esse in eo priori naturæ quo peccatum fit, non significat eam tunc absolute esse, sed eam desinere esse dependenter à positione peccati.

DISPUTATIO XXIII.

De actu caritatis.

D. Thom.



Ius Thom. 2.2. postquam qu. 23. & 24. disputasset de habitu caritatis, cuiusque subiecto, incremento, ac amissione (que nos duabus precedentibus disputationibus explicuimus) qu. 25. & 26. agit de obiectis caritatis materialibus, & de ordine, quo hæc amanda sint. Sed quia in his explicandis sæpe agendum est de caritate actuali, putavi hanc prius nobis explicandam esse, ut deinde alia facilius explicemus.

DUBIUM I.

Verum amor prout est actus caritatis, sit idem quod benevolentia?

D. Thom.

Quomodo differat benevolentia ab amicitia.

Ius Thom. 2.2. qu. 27. ar. 2. docet hæc ita distingui, quod amor amicitie supra benevolentiam superaddat quandam unionem affectus erga amatum; ita ut amor tendat in amatum tamquam in aliquid sui, & ad se pertinet, siue tamquam ad alterum se; nam, ut ostendi disp. 21. n. 29. amicitia efficit ex duobus quodammodo vnum, ita ut alter alterum amet tamquam seipsum, nec à se distinctum. Benevolentia autem solum dicit simplicem affectum erga alium, quo ei aliquid bonum volumus: quod fieri potest sine ulla erga eum amicitia, aut vero amore, quo eum cui bene volumus, absolute secundum se amemus. Nam si quis videat histrionem in theatro præ ceteris bene agentem, optat ei præmium optime agenti propositum, atque ita bene ei vult, etsi forte eum aliàs, quia homo vilis & scurrilis est, detestetur.

2
D. Thom. Aristot.

Ex quo etiam sequuntur aliæ differentie, quas D. Thom. supra ex Aristotele l. 9. Ethic. c.

4. & 5. adfert. Primò, quod benevolentia sæpe subito ex aliqua causa non magni momenti oritur, ut patet in casu allato: amor vero amicitie non nisi ex longa consuetudine, aut saltem ex causa aliqua gravi, quæque nata sit vehementer alterius affectum in se rapere. Secundò, quod amor sit firmior & diuturnior, quam benevolentia. hæc differentia sequitur ex priore. vnde etiam sequitur Tertio, benevolentiam esse principium amoris, quatenus hic ex crebro continuato affectu benevolentie nascitur. vnde sequitur Quarto, omnem amorem amicitie includere in se benevolentiam; non tamen contrà: quemcumque enim amamus, bene ei volumus; non tamen contrà: ut patet in exemplo histrionis supra allato.

DUBIUM II.

Verum Deus debeat hic à nobis immediate & propter se diligere, & an possit diligere propter aliud?

Nota Primò, cum D. Thomas 2.2. qu. 27. art. 3. particulam propter hic posse quadrupliciter accipi. Primò, ut significet causam finalem, qua ratione diligimus medicinam propter sanitatem. Secundò, ut significet causam formalem obiectivam, qua ratione diligimus aliquem propter suam virtutem & bonitatem. Tertio, ut significet causam efficientem ipsius rei amate, qua ratione, inquit, aliquos amamus quia sunt filij talis patris. Quarto, ut significet aliquid, quod nos disponit ad alium diligendum, & respectu amoris habet se tamquam occasio & motuum remotum ipsius: qua ratione beneficia ab aliquo accepta sunt causa cur primò ei bene

Amicitia
classis benevolentiam
non omni

3
D. Thom.